

Spec. 2. *Kalbfussia Mülleri* mihi:

*Acheniis* radii iis disci duplo brevioribus, apicem versus valde attenuatis (rostratis); disci manifeste stipitatis.

Folia obverse lineari-lanceolata, subintegra, aut superne sinu uno alterove longo, plus minusve incisa et hinc quandoque unum pinnarum par habent; pinnae obtusae. Anthodii squamae marginem versus farinaceo-pubescentes.

⊙. Mense Martio anni 1827 species ista ab amiciss. Müller in paludosis maritimis prope Massa Sardiniae lecta et ab Unione itin. sub nomine *Apargiae vernae* Salzmann communicata est. (v. s. in herbariis celeberr. equitis a Martius et amiciss. A. E. Fürnrohr.)

*Observ.* Genus hocce dixi in honorem amici Car. Kalbfuss, Stud. Medic., Rheno-Bavari, juvenis acriter studio botanices dediti.

## II. *Spitzelia*.

*Anthodium* ovatum, basi ventricosum, subinde stellatim expansum et subreflexum, polyphyllum: squamae internae adpressae, aequales, nro. 13, quibus basi accedunt minores, fere totidem.

*Receptaculum* convexiusculum, nudum, favoso-reticulatum, stipitibus perbrevibus, quibus insidebant achenia, punctatum.

*Achenia* difformia:

a.) *Achenia* radii nro. 13, incano-dilute castanea, squamis anthodii internis involuta basique cum cis concreta, persistentia et tandem cum